



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

5. Adhuc probatur decretum efficax, quatenus tale non constitui per extrinsecam connotationem.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 313

scilicet argumenti, sed potius dat manus coactus vi illius, quia iam concedit, actum formaliter liberum saltem inefficacem, non posse constitui formaliter, & essentialiter ab actione creata seu ab aliquo connotato extrinseco physico, quia per vos ab aeterno datur actus, & non in potentia solum; verum & proprium, decretum formalissime liberum, & ab aeterno actu nulla est creatura nec connotatum extrinsecum creatum: ergo ab aeterno actu non constituitur decretum formalissime liberum ab aliqua entitate creata, quia si ab illa constitueretur ut supra in hac demonstratione Theologica ostendi, aut deberet actus ab aeterno esse creatura illa, ut actualiter constitueret decretum liberum formaliter, & essentialiter quia constitutum non potest actu esse sine omnibus constitutivis essentialibus, & formalibus ipsis, aut si hoc non posset esse, quia in principio creavit deus caelum, & terram, ipsum decretum liberum non fuisset actu ab aeterno, sed necessario deberet esse in tempore de nouo, ut constitueretur a creatura, quae non est ab aeterno, sed in tempore de nouo, ut ex terminis patet.

110 Atqui nulla creatura est actu ab aeterno per vos & per fidem catholicam, & per vos etiam secundum fidem decretum liberum formalissime est actu ab aeterno: ergo evidenter, & manifeste sequitur per claram, & apertam consequentiam ex vi demonstrationis Theologicae deductam decretum liberum dei formalissime, ut tale non constitui formaliter, & essentialiter per aliquid creatum extra Deum.

SVBSECTIO V.

Adhuc probatur decretum efficax, quatenus tale non constitui per extrinsecam connotationem.

111 **Q**uia praedestinatio actualis quae nunc datur (etiam late probauimus, ex eo quod fuerit ab aeterno, non constitui formaliter per creaturam) est non solum inefficax aut sufficiens actus liber Dei, sed etiam efficax: ergo etiam efficax actus liber dei non constituitur formaliter per creaturam aut creatum connotatum; haec consequentia supposito antecedenti est evidens; quia praedestinatio est actus liber Dei efficax; sed praedestinatio non constituitur per rationem aliquam creatam: ergo actus liber Dei efficax non constituitur per aliquam rationem creatam. Antecedens illud non solum est certum apud omnes Doctores, cuius oppositum videtur minimum temerarium, sed etiam expresse, & clare docetur a P. Herize, *tr. 3. disp. 2. de natura praedest. t. 7. n. 68. ibi*: [rursus dicitur ex massa perditionis praedestinatio, quia licet deus ante peccatum originis voluerit liberaliter omnibus conferre gratiam, & gloriam, quantum est ex se: at ordo ille praedestinationis fuit sine effectu, & interceptus per peccatum. Unde efficax praedestinatio, quae modo est, initium habuit post peccatum originis secundum magis probabilem sententiam.] Et eodem *tract. 3. disp. 2. de existentia praedest. t. 4. cuius titulus est*, Aliquot discrimina inter providentiam, & praedest. *n. 20. in pr.* sic ait: [Secundum discrimen est, quia est providentia efficax, praedestinatio semper re ipsa obtinet suum particularem finem, scilicet deus vero providentia.] & *num. 23.* sic ait: sed dices iterum ex Caetano quolibet providentia Dei perfectissima est, at de ratione providentiae perfectissimae est ne

Is. P. Tom. II.

frustraretur sine à se intento: ergo omnis providentia dei assequitur finem particularem. Respondeo, distinguendo minorem; de ratione perfectissimae providentiae efficaciae (ut est praedestinatio) est consequi finem intentum; concedo, inefficaciae, nego; neque enim in providentia idem est efficacia, & perfectio illius, sed debita ordinatio mediorum conducentium in finem secundum exigentiam creaturae circa quam versatur providentia, imo forsitan in effectibus, qui pendent à causa libera necessarium est, ne praetendatur efficaciter ante praevisionem actus liberi, si indifferentia causa libera illa servanda est.]

Ecce quomodo hic Auctor aperte sentit, praedestinationem actualis, quae ab aeterno est, esse efficacem, & amplius patet. Nam definiens ipse voluntatem efficacem, *cap. 3. disp. 2. n. 101.* sic ait: [est denique efficax intentio finis, cum ipsum assequitur.] clarius loquitur per haec verba, [in qua maior est controuersia, & vim facio, ut eam ostendam in hoc, quod electio illa est omnino absoluta, & nullam ex parte obiecti admittat conditionem, quae deus spectet, aut respiciat ut decernat decreto absoluto, & efficaci fore gloriam secundum realem existentiam in certo, & determinato tempore,] & paulo post, [nisi verbis ludant inter voluntatem absolutam, & efficacem ex sua natura, & conditionatam, & inefficacem hoc agnoscant discrimen necesse est, quod illa vult rem esse nulla expectata conditione & ideo efficaciter pergit ad executionem eo tempore, quo decreverit esse vimque; habet determinandi potentiam executricem, haec vero spectat conditionem, & non vult esse rem nisi sub tali conditione; ideoque inefficax est in executione usque dum purificata conditione transeat in absolutam; sed electio praedestinatorum ad gloriam, quae praedestinatio dicitur est absoluta praedestinatio Dei quae non expectata aliqua conditione dirigitur in vitam aeternam in re ipsa consequendam ut P. Herize, *tr. 3. disp. 2. de existentia praedest. c. 1. n. 2.* [hic observa hanc nominis praedestinatio praefens significationem non nisi apud Paulum reperiri in sacra Scriptura, ni fallor, ea vero est praedestinatio Dei; quia creatura intellectualis per media infallibilia gratiae dirigitur in vitam aeternam, re ipsa consequendam, ut ex professo explicio *disp. 22.* Post Paulum, Concilia, & Patres Ecclesiae, atque Doctores scholastici hac utuntur significatione tam frequenter, ut nomen hoc simpliciter prolatum sine addito propriam solum providentiam praedestinatorum significet;] & *nota disp. 23. à cap. 1. usque ad 13.* probat ideo praedestinationem, seu electionem salvandorum ad gloriam non posse esse ante praevisionem merita; quia est absoluta, & efficax voluntas dandi gloriam praedestinat, & si esset ante praevisionem merita, non minus tolleret libertatem, quam efficax physica praedeterminatio, & de voluntate inefficaci, qualis est illa, quae explicuit Paulus per illa verba; vult Deus omnes homines salvos fieri, asserit esse ante praevisionem merita quia non est infallibilis, efficax, & absoluta; unde *cap. 9.* hunc titulum ponit: [caput nonum intensionem omnino absolutam gloriam ante merita praedestinati pugnare cum libertate eam acquirendi, & admittendi,] & *numero 98. eiusdem capituli noni*, §. denique, sic ait: Denique observa consulto in titulo capituli me notasse, nos agere de electione, omnino absoluta. Nam per illud, omnino, excludere intendo omnem conditionem ex parte obiecti, ut in progressu magis declaro; loquimur etiam de electione absoluta, atque efficaci ex natura sua, hoc est, quae vim habeat exequendi obiectum, si sit in valente illud

R r exequi;

exequi, & non impediti, ut est in Deo; neque enim agimus de alia absoluta simplici complacentia, qua solum complacet voluntas in obiecto secundum se, nec procedit ad executionem, nec vim habet determinandi potentiam exequutricem eius, in quo est, nam hæc extra hanc controvertiam est secundum utrosque opinantes. Nec denique agimus electione absoluta, & efficaci denominatione ab effectu in reposito secundum sententiam asserentem actum liberum in ratione liberi compleri per extrinsecum connotatum, atque adeo eum dici efficacem, qui effectum habet, inefficacem, qui non habet; quoniam in ea sententia difficultas hæc locum non habet, his observatis: contendo non aliter hanc electionem absolutam omnino adimere libertatem prædestinato ad comparandam, & amittendam gloriam, quam adimat physica prædeterminatio ad eum actum, ad quem prædeterminat, & formo argumentum in hunc modum, quod illa absoluta electio sit, aut non sit in Deo non est in potestate prædestinati, sed nec quod ea posita, seu in sensu composito gloriam non consequatur est in potestate prædestinati: ergo hæc electio omnino absoluta pugnat cum prædestinati libertate.

Præterea eodem tract. 3. disp. 12. cap. 7. num. 68. explicans ultimam particulam definitionis prædestinationis, sic ait: [Demum dicitur per infallibilia media gratiæ; quia prædestinatio certissima est, & semper consequitur finem vitæ æternæ; ergo ex sententia huius auctoris prædestinatio est efficax; quia ut ipse ait disp. 11. cap. 8. num. 20. in hoc distinguitur prædestinatio à providentia communi, [quod prædestinatio, quia est providentia efficax semper res ipsa obtinet suum particularem finem, secus vero providentia:] Sed magis data opera docet Heriz tract. 2. disp. 17. cap. 3. dari in Deo actus efficaces, & inefficaces, & inefficacem aut esse voluntatem illam communem reprobis, & prædestinatis; efficacem autem appellat prædestinationem, seu electionem ad gloriam, quæ veritas aperte docetur ab omnibus Doctoribus Ecclesiæ, ut videtur in Sancto Fulgentio lib. de fide ad Petrum, cap. 33. ibi: [firmissime tene, & nullatenus dubites, omnes, quos vasa misericordiæ gratuita bonitate Deus fecit, ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos à Deo, neque perire posse aliquem eorum quos Deus prædestinavit ad regnum cælorum, neque quemquam eorum, quos non prædestinavit ad vitam vlla posse ratione salvari:] quibus verbis aludit ad locum illum Joann. 10. [Quos Pater dedit mihi nullus rapier de manu mea:] vnde Augustinus definiens prædestinationem sic ait [prædestinatio est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicunque liberantur:] dicitur enim certissime liberantur, quia prædestinatio ratione propriæ efficacitatis, & infallibilitatis consequitur finem proprium; vnde ipse Augustinus lib. de correptione, & gratia, cap. 14. prope initium ait: [cui volenti saluum facere nullum hominum resistit arbitrium; sic enim velle, vel nolle in volentis, aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediatur, nec superet potestatem; de his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipse quæ vult; non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cælo, & in terra omnia quæcunque voluit, fecit, & qui etiam illa quæ futura sunt, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult eum vult facit.]

Idem docet Prosper ad Rufinum de libero arbitrio, propius ad finem, quam ad medium, & Hieronymus ad Ephes. 1. ad illa verba; [qui universa operatur secundum consilium voluntatis suæ;] & D. Thomas 1. p. q. 103. art. 8. docet expresse efficacem voluntatem non posse frustrari, & postea asserit prædestinationem non posse frustrari: ergo prædestinatio, seu electio ad gloriam est efficax, & omnino absoluta, vnde D. Fulbertus Brixiensis Episcopus sic ait; ideo diximus, tantam ibi esse virtutem voluntatis, quanta est voluntas ipsa virtutis, quia cui semper subest, cum vult posse, non aliud est in illo velle, quam posse, posse enim efficacissimum indicat velle efficacissimum, dum præparat homines ad gloriam per eligentem voluntatem, cui nullo modo possit resisti secundum illud Genes. 50. num. Dei possumus resistere voluntati. Iudith. 16. [Tibi serviat omnis creatura tua, quia dixisti, & facta sunt, misisti spiritum tuum, & creata sunt, & non est qui resistat voci vitæ.] Esther. 13. [In ditione tua cuncta sunt posita & non est qui possit tuæ resistere voluntati.] Isaia 46. [Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet, vocans ab oriente auem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ.] Psalm. 113. & 104. & Job. 9. [Deus cuius iræ nemo resistere potest.] Job. 41. [Quis enim resistere potest vultui meo.] Psalm. 75. [Tu terribilis es, & quis resistit tibi.]

Ecce quomodo Sancti Patres, & Doctores Ecclesiæ Scripturæ apertis locis nitentes docent, prædestinationem esse volitionem æternam, absolutam omnino efficacem, & infallibilem, vnde sapientissimus Ruardus art. 7. de libero arbitrio, multo propius ad medium, quam ad principium cap. ultima propositio, sine, his verbis definit prædestinationem [prædestinatio est efficax ordinatio & directio electorum per media congrua ad salutem æternam,] quod aliis verbis docuit Cardinalis Bellarminus lib. 2. de gratia, & libero arb. cap. 9. ibi: [prædestinatio est providentia Dei, qua certi homines misericorditer selecti per infallibilia media in vitam diriguntur, vnde P. Didacus Ruiz disp. 1. de prædestin. sect. 9. n. 1. sic ait; [duo sunt potissima discrimina prædestinationis à providentia, quibus alia quedam annexuntur: Primum ac celeberrimum est, efficacitas prædestinationis ratione cuius finem intentum assequitur infallibiliter, inevitabiliter, & indeclinabiliter, ut constat ex receptissima definitione prædestinationis, quam tradidit Augustinus lib. de bono perseverantia, cap. 14. & sequuntur alij Patres, & omnes scholastici supra sect. 7. citati, præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicunque liberantur. Quales autem sit efficacitas ista, & utrum causet merita, vel causet solum gloriam post præviisa merita, & alia difficiles quæstiones ea de tractabuntur sequentibus disputationibus; in præfati solum asserimus tanquam exploratum, & ab omnibus concessum prædestinationem non esse, nisi hominis, qui re ipsa consequitur salutem.]

Ecce quomodo Auctor hic maxime fide dignus, & qui pene omnes assidua lectione auctorum, infessaque in evoluendis doctorum sententiis diligentia superat, docet hic, omnes scholasticos in hanc sententiam conspirasse, ut doceant, prædestinationem esse efficacem actum libertatis divinæ, quod etiam docuit expresse Pater Suarez lib. 1. de essentia prædestinationis, cap. 4. m. 4. ibi: [hoc maxime videtur pertinere ad vsum vocis, & ideo satis probatur ex vso, eo modo loquendi Theologorum omniū, potest autem reddi ratio ex his, quæ notat D. Thomas]

Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 315

Thomas *quaest. 23. artic. 1.* nam praedestinatio proprie significat ordinationem efficacem alicuius in ultimum finem superantem naturam eius.]

112 Idem docent S. Thomas 3. p. & cum eo omnes Thomistae nullo dempto super *quaestionem 2. articulo 10. & super quaestionem 6. artic. 6. & prima parte*, dum agunt de praedestinatione, D. Bonaventura, in *secundo distinctione 27. dub. 1. circa litteram*, Scotus in *primo*, & cum eo omnes Scotistae, Durandus in *tertio distinctione 2. quaest. 3. Ricardus in tertio*. Et ex nostra Societate pene omnes, quos legerim, videatur Pater Valentia, *tom. 1. disput. 1. quaest. 23. de praedest. toto punct. 5. P. Molina prima parte*, P. Valquez, *ibidem*, P. Granad. Fasolius, & reliqui, & manifesta ratione sic demonstratur.

113 Quia praedestinatio, & electio, verbi gratia, Beati Petri distinguitur in Deo ab aeterno à voluntate, quae datur etiam ab aeterno in Deo, quae ut ait Paulus, voluit Deus omnes homines salvos fieri; sed haec voluntas est inefficax ab aeterno: ergo praedestinatio, & electio absoluta omnino, infallibilisque Petri ad gloriam est efficax omnino ab aeterno; unde illa non dicitur efficax sola extrinseca connotatione creaturarum; quia actus efficax intrinsece affert alium modum volendi diversum à modo actus inefficacis, hic enim sistit in effectu erga obiectum; ille vero ulterius exigit ipsius obiecti productionem; ita ut eo actu posito, & permanente non possit non mandati executioni, quod volitum est si ex parte exequentis adsit potestas: ergo complacentia non potest reddi actus efficax. Et confirmatur; nam posito actu inefficaci manet voluntas omnino indifferens ad utramque contradictionis partem; neque ex vi illius determinatur ad agendum ut in nobis perspicue opponitur posito autem actu efficaci, determinatur voluntas, nec potest non mandari executioni, quod volitum est, si adsit exequenti potestas; ergo duo illi actus longe diversi sunt; nec vnus potest quasi converti in alterum ob extrinsecam connotationem creaturarum.

114 Vigetur, ac declaratur amplius, quia ex effectibus distinctis colligitur distincta causa, sed posita voluntate inefficaci omnium hominum gloriae ab aeterno ex vi illius in tempore non ponitur gloria; quia inefficax est, & posita electione D. Petri ad gloriam ab aeterno volente in tempore produci talem gloriam ab omnipotentia infallibiliter in tempore datur talis gloria: ergo quia talis electio ab aeterno erat efficax, quia si ab aeterno non esset efficax, eo modo quo est prima voluntas antecedens circa omnium hominum gloriam non sequeretur talis gloria infallibiliter: ergo talis consequutio gloriae est effectus illius actus liberi existentis ab aeterno, ita ut adaequata causa talis effectus sit illa absoluta electio, & praedestinatio: sed talis consequutio, aut retributio gloriae non potest oriri ab illo actu, ut ab inefficaci, quia ex actu inefficaci nullus effectus sequitur, ut videre est in voluntate antecedente circa gloriam omnium hominum, ex qua nulla gloria sequitur in effectu: ergo talis consequutio gloriae infallibilis D. Petri oritur à tali voluntate eligente & praedestinante D. Petrum ab aeterno, ut ab actu libero efficaci: patet consequentia, quia non datur medium à parte rei inter actum efficacem, & inefficacem: sed talis actus ab aeterno non est inefficax, quatenus causa talis consequutionis gloriae: ergo est efficax ab aeterno, antequam in tempore detur talis consequutio gloriae, licet ab aeterno non sit actu efficiens, quia hoc extrinsece provenit ab ipsa effici-

I. P. Tom. II.

entia temporali; sed causa ut iam late demonstravimus, non potest constitui ab effectu, & constitutum actuale ab aeterno non potest dici tale per aliquid, quod actu non est ab aeterno, sed in tempore: ergo praedestinatio, seu electio absoluta, & efficax, quatenus talis non constituitur per aliquam actionem creatam, aut per terminum productum per illam.

115 Tandem, quia deus ex aeternitate habuit scientiam intuitivam, & visionis de rebus futuris, & quae ex possibilitate seu ex statu illius transferunt ad statum futuritionis; itaque Deus ab aeterno videt tales creaturas esse futuras, & tales non esse futuras, sed quas videt futuras, videt non esse à se tales, sed potius à Deo per voluntatem, & decretum liberum constituentes eas in esse futurarum: ergo ex vi talis decreti, tanquam ex vi causae videt ab aeterno transire aliquas creaturas ab statu purae possibilitatis ad statum futuritionis; sed etiam videt, non posse ita transire ex vi actus inefficacis ab aeterno existentis: ergo videt, & cognoscit cum summa veritate illum actum liberum ab aeterno actu existentem in ipso, ex vi cuius tribuitur futuritio aliquibus possibilibus esse omnino absolutum, & omnino efficacem.

116 Declaratur amplius, quia non solum in tempore, sed etiam ab aeterno sequitur aliquis effectus ex voluntate absoluta, v. g. ex electione D. Petri ad gloriam, scilicet futuritio gloriae D. Petri, & futuritio omnium hominum salvandorum gloriae non datur ab aeterno ex vi voluntatis illius inefficacis supradictae: ergo ex differentia horum effectuum futuritionis colligitur euidenter à posteriori diversitas, & differentia formalissima, quae datur in illis actibus liberis, qui sunt causae, ex quibus oritur futuritio, & non futuritio; unde si queras quare ab aeterno futura est gloria D. Petri vel quae causa est, quae futuritionem tribuit tali gloriae ab aeterno, & si iterum queras, quae est causa ob quam non datur futuritio in gloria omnium, sine dubio respondere debes; quia respectu gloriae D. Petri datur voluntas absoluta sine aliqua conditione cui responderet effectus ille infallibilis futuritionis gloriae D. Petri, & respectu gloriae omnium hominum non datur absoluta voluntas, sed inefficax voluntas ab aeterno: ergo tota causa, quare illa voluntas non tribuit futuritionem est, quia est inefficax ab aeterno: ergo si non esset inefficax, tribueret futuritionem ab aeterno; sed in actibus à parte rei, quando non datur inefficacia, datur necessario efficacia: quia inter efficacem, & inefficacem, seu non efficacem non datur medium à parte rei eo modo, quo in animalibus à parte rei non datur medium inter rationale, & irrationale, & in entibus à parte rei non datur medium inter possibile, & impossibile: ergo talis actus tribueret futuritionem formalissime si esset efficax: ergo haec causalis est vera; quia efficax est actus, tribuit futuritionem; sed causalis aequivalet uniuersali.

Vnde erit vera haec propositio, omnis actus tribuens futuritionem suo obiecto, est efficax ab aeterno; sed absoluta voluntas dandi gloriam D. Petro quae non datur de nouo in tempore, sed ab aeterno est tota, tribuit futuritionem gloriae D. Petri, quam habet pro obiecto: ergo talis voluntas omnino absoluta, quae ab aeterno datur, & non datur de nouo in tempore; quia ab aeterno tribuit futuritionem & non tribuit futuritionem de nouo in tempore, ab aeterno est efficax, & non de nouo in tempore, & ab aeterno non est actualis productio Dei: ergo actus efficax liber Dei in quantum talis non constituitur per creationem Dei; sicut nec potest constitui

constitui per futuritionem creaturæ; quia ipsa futuritio est effectus voluntatis Dei efficax, & ideo non potest oriri ab actu inefficaci; sed effectus non constituit causam efficientem, à qua oritur, & ideo Petrus, qui est filius non potest constituere suum Patrem in esse causæ talis filij; nam quod est prius non constituitur à posteriori; sicut negatio futuritionis non potest constituere formalissime à priori in esse actus inefficacis distincti ab actu efficaci voluntatem illam qua vult Deus omnes homines salvos fieri; quia talis negatio est effectus talis voluntatis: ergo voluntas illa absoluta gloriæ D. Petri, & voluntas illa inefficax gloriæ omnium hominum constituitur à priori, & distinguuntur à priori per aliquid distinctum ab effectibus eorum; unde aliquid est distinctum; per quod constituuntur actus ille volendi gloriæ omnium hominum, & actus volendi gloriæ D. Petri; in quo debent opponi, sed non est aliud, nisi efficacia, & inefficacia illorum: ergo duo illi actus in seipsis considerati propter prioritatem naturæ præcedunt suos effectus futuritionis, & negationis futuritionis ab æterno, & propter prioritatem æternæ durationis præcedunt actiones actuales, & terminos existentes productos per illas ita se habent, ut unus sit efficax, & alter inefficax: ergo falsissimum est dicere, actum efficacem, & inefficacem non esse ab æterno tales, sed constitui per actionem, &c.

¹¹⁷ Confirmatur; quia si Dei volitio efficax libera non est plene constituta, nisi per relationem rationis, hoc est ut ipsi explicant per extrinsecam denominationem ab effectu, vel ab eius productione transeunte, consequens erit productionem transeuntem ad extra priorem esse, quam efficax volitio Dei constituta sit in ratione volitionis liberæ, ac determinate versantis circa determinatum obiectum. Sequela probatur; quia productio transiens ad extra est prior, quam extrinseca denominatio, vel connotatio productionis; etenim hæc resultant ex illa. Quapropter eadem productio prior erit, quam volitio sit constituta per denominationem, aut connotationem.

¹¹⁸ Consequens autem esse falsum probatur *primo* Ioannis 4. [in hoc apparuit Charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum ut vivamus per eum; in hoc est Charitas: non quasi nos dilexerimus Deum; sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum &c.] & *versus finem eiusdem capituli* [nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos;] quo circa transiens actio, qua Deus in nobis producit nobiscum charitatis actum, quo diligimus Deum & denominatio, seu connotatio inde resultans non est prior quam actus Charitatis divinæ, per quem nos diligit, & vult in nobis causare dilectionem Dei.

¹¹⁹ Prioritas eadem significatur Ioan. 15. [non vos me elegistis, sed ego elegi vos] nam Deuter. 26. Moyses ait [Dominum elegisti hodie.] Quamobrem Apostoli Dominum Iesum Christum elegerunt libere sed non priores elegerunt, sed prior eos elegit Deus, ut ipsi eligerent: ergo libera electio fuit prior in Deo, quam productio creatæ electionis ad extra.

¹²⁰ Præterea probatur, quia nisi concedatur ex parte Dei volitio libera, per quam ut per efficientem causam determinentur primario tales

effectus reales, & ex consequenti determinentur omnes extrinsecæ denominationes, seu connotationes provenientes ab illis effectibus realibus, erit impossibile rationem reddere, quare mundus in tali instanti creatus fuerit potius, quam antea, vel postea, quare pars hæc materiæ sub forma aquæ, non vero sub forma terræ, vel æris fuerit producta; quare non fuerit producta aliam materiæ possibilis, & alia forma tercia, & aquæ possibilis. Idem interrogare licebit de cæteris omnibus effectibus; etenim se ipsos determinare nequeunt, ac proinde necessario supponunt priorem determinationem in volitione efficaci Dei; quod si prædicta determinatio est prior, non est denominatio ab effectibus proveniens, quoniam istæ sunt posteriores.

Deinde probatur; Quia si decretum efficax ¹²¹ creandi mundum, de formali diceret extrinsecam denominationem proveniente à mundo creando, sequeretur, Deum determinari à mundo, ut illum velit creare, & illum de facto creet; nec habuisse Deum potestatem determinandi se ad creationem, atque potestatem se continendi à tali determinatione. Nam si Deus prius natura se determinat, non expectata determinatione, quæ provenit à mundo creando; iam hæc determinatio est ante omnem denominationem extrinsecam provenientem à mundo creando: consequenter igitur hæc determinatio erit intra Deum increata, & divina.

Urgetur amplius; quia si actus divinæ voluntatis ¹²² completeretur per creaturam, neque in tempore, neque ab æterno daretur decretum efficax liberum Dei, nec haberet formalem libertatem, nec radicalem Deus; sed hoc est hæreticum, & non est affirmandum à Catholico: ergo neque illud, ex quo sequitur hæc hæresis. Minor patet ex supra dictis; sequela Maioris ubi est difficultas, sic ostenditur; quia libertas actualis & formalis decreti debet esse in aliquo subiecto, vel quasi subiecto, quod sit capax illius libertatis: sed nihil est, in quo secundum adversariorum sententiam, & veritatem manifestam possit esse libertas divina actualis: ergo in nullo est ergo nulla est libertas actualis & formalis in Deo. Minor sic probatur; quia non est in entitate Dei cum illa ex eo quod sit ens necessarium, non sit capax illius, non in mutatione facta in lapide, quia talis mutatio non est actus voluntatis divinæ, cum non sit perfectio immanens, nec increta, quod requiritur ad actum volitionis, ut ex se patet: ergo non informatur libertate divina, neque in illis est; Tandem actus liber Dei non potest consistere in toto illo coniuncto, quia ex actu necessario, & ex entitate creatæ, quæ non est actus voluntatis, imo imperfectissima entitas non potest resultare decretum liberum Dei: ergo

SVBSECTIO VI.

Argumentum principale ponitur.

¹²³ **Q**uia actus voluntatis divinæ est vita actualis Dei, sed decretum liberum divinum est actus voluntatis Dei; ergo decretum liberum divinum est vita actualis Dei. Tunc sic vita actualis Dei non potest constitui aliqua entitate creatæ; sed decretum liberum est vita actualis Dei &c. ergo decretum liberum Dei non constituitur formaliter